



(Qu-adius).

18: 27 cm

imminet, in Codanum egreditur non vno ostio, & amplissimo antequam Dantiscum attingat, alueo, vbi mira piscium copia atque hic totius Poloniæ nobilissimus est fluuius, nam & priusquam Craccouiam peruenit, multi eum amnes influentes augent, vt sunt Biaza fluuius, Sala fluuius qui & ipse Kossoraba fluuius auctus, haud procul ab Osuueczensi vrbe Vistulæ confluit. inde Skavva fluuius & Skavvinka è regione Craccouia, & perpauci alij, atque hi quidem ex Meridionali tantum latere proueniunt, ex Septentrionali autem latere augetur Vistula supra Craccouiam Korzeniecza, Gostinia & Czerniechovicza fluuiolis. Ad caput autem Vistulæ fluuij, Morauiaque contermina, iuxta Carpathum montem Teschnensis est ditio, quam Luti Burijsque olim habitarunt. Ab Occidente Ducatus hi Silesiam contingunt, à Meridie Hungariam, inter Meridiem & Occidentem Morauia respiciunt, ab Oriente & Septentrione reliquam Poloniam. Quæ præterea de incolarum moribus, terræ qualitate ac fertilitate dici possent, ex superioris tabulæ, Poloniæ nimirum descriptione abundè satis promerere licebit: siquidem ambo hi Ducatus (vt supra quoque monuimus) ad amplissimum Poloniæ regnum spectant, eiusque pars sunt.



OSVUECZENSIS ET ZATORIENSIS DUCATVS. 76

HÆc amplissimi Poloniæ Regni pars est, ab ea videlicet parte qua Silesia attingit: olim verò ad hoc Regnum non spectabat, sui enim iuris erat, Poloniisque regibus non parebat. Osuueczensis quidem ducatus ad Polonos peruenit anno salutis humane millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, sub Casimiro III. Zatoriensis verò annis circiter centum post illa tempora sub Rege Sigismundo I. anno nimirum salutis reparatæ millesimo quingentesimo quadragésimo octauo, Poloniæ regno incorporatus rursus erat, idque iure armorum, vt in historia sua Polonica testatur Cromerus. Vrbs autem Zator (quæ Zatoriensem Ducatum facit) fluuiolo Skavvæ imminet; qui itidem Vistula absorbetur. Sitæ sunt autem prouinciæ hæc inter Vistulam fluuium & Carpathum montem, qui & Sueuus dicitur ærisque rubri fecundus est, quod Vngaricum vocant. quin in eodem etiam monte argentum effodiunt, ac reliquarum minerarum copiam præbet. Est autem mons vastissimus, ac per Silesitas Marauanosque in Pannoniam Sarmatiamque protenditur. Vistula autem (Germanicè die Weitel) Poloniam à Germania separat, atque olim, vt superiori folio diximus, Vandalus appellatus fuit. Verum hic dubitari posset, fluuiusne à Vandalis populis, an verò populus à fluuiio nomen suum mutauerit, si fides adhibenda esset dubiæ cuiusdam historiæ, cuius in Cosmographia sua mentionem facit Munsterus, vbi ait Vandalos nominis sui etymologiam deducere à Vanda quadam Poloniæ Regina, quam pro assecuta contra Teutones victoria, fabulantur dijs seipsam immolasse, de ponte in Vistulam salisse, & ab aquis suffocatam vno miliario à Graccouia; vnde fluuius, in quo est submersa, dictus est Vandalus, & gens circum habitans Vandalitæ. Hac de re lege Vandaliam Krantzij. Huius autem Vandæ Sabinus quoque meminit in nuptijs suis Polonicis elegantissimè his versibus:

Subit scelerato Vanda tyranno,
 Quæ cum mille procis, quod erat formosa, placere
 Innuba virgo tamen casti sine labe pudoris
 Mansit, & ætatis ver intemerata peregit.
 At non femineis calathis, non dedita molli
 Illa fuit lana: duris assuera sed armis.
 Figeræ terribilem longis palearibus vrsum,
 Frendentemque suis, excire cubilibus vrsum.
 Martia si quando fremuerunt classica, belli
 Laudibus insignes aquauit & Heroinas.
 Quippe Borystheniden, debellauitque Gelonum,
 Binaque magnanimo cum Teutone prælia fecit.
 Corniger ardebat victricis amore puella
 Istula, cumque suo vidisset in anne lauantem,
 Mollibus excipiens amplexibus abstulit illam
 In vitreas sedes, thalamique, in honore locauit.

Idem etenim fluuius quondam Istula dictus fuit, item Vistula, Iustilla & Instula: is in Carpathijs, Sarmaticisque montibus ortus, qua in Iazyges, & Marcomanos Polonia

imm-

21/69

MII 125

nr inw.

791

